

(X)

nem, in providendo dexteritatem, in conficiendo celeritatem verbis aequare poterit, quas subito hostibus ferro & flammis in Velitras irruentibus, invictissimas demonstravit? Conflagrabant Velitrae facibus & malleolis admotis, hæc illæ circumcursantes hostes, ut in quemque inciderant, obvios trucidabant: ruebant combustae domus, viaeque ipsae civium sanguine redundabant, undique tubarum clangor ac militum clamor exaudiebatur: personabant omnia morientium gemitibus, puerorum lamentis & muliebri ululatu. Interea CAROLUS domo in quâ diversabatur, quamque circumvenire prima Lobcovicio mens fuerat, postico egressus, postquam pedibus fuerat aliquantulum progressus, equo insidens strictoque ense, quamquam extrema suis imminere animadverterat, non summo perterritus discrimine, aut subito casu percussus, omni fortissimi Imperatoris officio functus, *recordamini*, clamat, *milites, vestrae virtutis*. Hac voce, veluti quâdam caelitus immissâ virtute, confirmati Borbonij, ruerunt omnes in media arma: alij ardentibus Velitris ferre subsidium, Artemisij alij recuperare juga: alij quò potissimum urgebant hostes, divisis copijs acerrimè pugnare. Extorsit tandem incredibilis CAROLI virtus, quam propè in manibus ha-

(XI)

bebant, Austriacis victoriam; qui terrore exanimati, receptui cecinere, neque ulterius Neapolim cogitarunt. Quibus verò laudibus, quâ putatis benevolentiam complexa est Neapolis redeuntem Regem, quem cum prius domitorem fuisset reverita, liberatorem denuò coluit, longo dein tempore pacis ac felicitatis suae assertorem habitura? Sinite, Auditores, quoniam ad se jam dudum me rapit, & totam jure quodam suo nostram sibi vendicat Hispania orationem, silentio praeterire: ut ille Neapolitanorum animos dulcissimo amoris vinculo devinciens, si qui erant sublestae fidei Austriacarum partium fautores, vel represerit, vel regiae humanitatis officijs ad integram observantiam adduxerit: ut in extruendis portibus, in magnifico scientiarum omnium exornando domicilio, in Militari instituendâ Academiâ, in ijs, quae longo viginti saeculorum tractu sepulta jacuerant, eruendis Herculano & Pompeijs, Neapoli ad regendam patriam quodammodo proluserit. Atqui (ut innumera alia mittam quae Neapolitanorum linguis & monumentis celebrantur) hoc illud erat, quòd nos, CAROLO Hispaniae regna capessente, non modò certâ felicitatis spe, sed incredibili quodam gaudio, tanquam si bonis jam frueremur, exultabamus. Equidem qui in ip-

(XII)

so regnandi atrocitas tantus apud peregrinos homines (si quando aliquis CAROLO peregrinus aut exterus fuit) virtute, prudentiâ, justitiâ caeterisque regnandi dotibus eminebat, quantus profectò existimandus erat, cum jam dominandi artis peritissimus, suos, quos penè efflictim deperibat, regendos susceperat. Neque verò Hispani poterant quidquam dubitare de impenso adversus ipsos Regis CAROLI amore, cujus CAROLUS puer multa & perspicua argumenta dedisset.

Ergo his quibus Neapoli assuefactus fuerat, regnandi artibus, eo, quo à teneris flagrabat, in Hispanos studio regnare exorsus, nihil cogitabat, nihil moliebatur, nisi ut communi suorum salutem, de qua unâ sollicitus dies noctesqueangebatur, provideret. Eapropter animo reputans incertos & fallaces belli eventus: vehementer miseros esse eos populos de quorum felicitate vi & armis disceptatur, non dimicare omninò, quam vel minimâ suorum jacturâ gloriosè vincere mallebat. Sed cum reipublicae salutem non aliâ interdum viâ quam belli remedio occurrì possit, ut in corporibus humanis saepè videmus, quorum ingruentes quidam morbi non nisi multo effuso sanguine levantur, ea omnia sapientissimè constituit, quibus, seu inferre, seu suscipere bellum

(XIII)

necessitas justaeque causae postularent, optimè institueretur disciplina militaris. Custodire arces, praesidia aedificare, militum copias cum recentes conscribere, tum veteranas ordinare, novis sapientissimisque institutis augere militibus stipendia, acerbiores quasdam in desertores mitigare poenas, militarem cohibere licentiam, humanissimam aequè ac severam firmare in exercitu disciplinam, haec illi in primis curae fuere & studio. Ecquando verò aut facilius militibus ad summos quosque honores aditus patuit, aut militares copias morigeras magis, gratiores populo atque in omnes officiosiores quisquam vidit? Quod si ad bellicam extollendam gloriam Navalis etiam Militia quidquam confert, quantum illius & vires, & splendorem CAROLUS auxerit, reor ignorare neminem. Portus siquidem stationibus & praesidijs firmissimi aequè ac tutissimi, optima navalia constructa, navibus onerarijs, vectorijs, praeliaribus aedificatis & ornatis maxima comparata classis, haec nimirum sunt, quibus effecit CAROLUS, ut jam Britannos ipsos, qui se de navali suae gentis potentiam magnificè jactant, aut superasse nos, aut de maris imperio cum ipsis decertare non immeritò gloriemur. His profectò quibus militaris nostra disciplina & potentia terram marique in dies

(XIV)

augebatur, quantum Hispaniarum incolumitati & bono CAROLUS consuluerit, animadvertet facile quisquis intelligat armis stare & conservari regnorum privata & publica omnia, arma praesidia esse legum, improborum terrorem, proborum auxilium atque ipsius sacrosanctae Religionis firmissimam custodiam.

Scio, Auditores, nec verò dissimulabo strenuissimum istum aequissimumque Regem, qui bellum nunquam nisi justissimis de causis, ferè nullum egerit nisi lacessitus, fefellisse non semel belli fortunam, atque adverso Marte dimicasse. At si quod prudentissimis consilijs interdum eventus non responderit, quidquam de insigni bellandi gloria, deque suo publicae salutis impensissimo studio detractum iri existimatis: Condaee, Turenni, Eugeni, Roderice Vivari, vosque duo belli fulmina, Gonsalve Fernandezi Cortesique pudet me vestri, qui incertis belli casibus, tanquam quibusdam procellis, quandoque jactati, immeritò egregij bellatores & de republica optimè meriti linguis omnium & litteris celebramini. Non est vestrum, aequissimi rerum aestimatores, istud tam praeposterè criminari: quin imò si qua, & sanè multa fuerunt, magna & praeclara gessit CAROLUS bella, non tam felicitati, quam ejus vir-

(XV)

tuti & prudentiae, quae verò, paucissima illa quidem, infausta acciderunt, non culpa, sed fortunae, veriùs dicam, irato Deo justas à nobis repententi poenas, tribuenda esse censebitis. Neque verò ista sic à me dicta existimetis, quasi belligerantis CAROLI excusationem praetendere, aut Hispaniam nostram de acceptis bello cladibus vellem consolari; cum potius de tot tamque singularibus bonis quae susceptis à CAROLO bellis nacti sumus, sit nobis summopere gratulandum. Et quoniam non unius alteriusve calamitoso praeliorum exitu, sed ex eo quo tandem consistit florentissimo statu, bellatore CAROLO, Hispaniae Imperium, ipsius in gerendis bellis fortitudo, prudentia, felicitas pensandae sunt, recolite, Auditores, animo illius post extremum cum Britannis bellum saluberrimae nobis omnibus inita pacis praestantissimos fructus, & quo demum res nostrae loco sint, contemplamini.

Quaenam, amabo vos, praesidia & arces, quodnam vel parvum oppidulum infenso Marte amisimus, quae non demum vel expugnata armis, vel pace inita reciperemus? Quamnam belli jacturam non sunt praestantiora commoda consequuta? Mancacium, Natcacium, Omoam, Roatanum, Movilam, aliaque Britannorum praesidia

(XVI)

vel primùm expugnata, vel in nostram redacta ditionem: Panzacolam, Floridae Insulae Occiduam Orientalemque plagam recuperatas: Anglos è sinu Mexicano expulsos atque abactos: Balearum minorem, atque in eâ validissimum Magonis Portum oppugnatione captum: quid plura? Amicitias cum Marocano Rege junctas ac firmissimè cultas: ad Turcarum Imperatorem plenas benevolentiam missas, acceptasque ab eodem legationes eo felici successu, ut Jonium, Euxinum, Aegaeum quae jam pridem nostris navigijs clausa erant maria, pateant nunc tutissima & aperta: quisnam poterit verborum copiâ aut orationis pigmentis vel satis exprimere, vel dignis laudibus praedicare? Jure enimverò succensisse mihi videremini, si initam cum Argeliano regno pacem tacitus praeterirem. Non certè armis, non quibuscumque reportatis victorijs, non munitissimis praesidijs ex nostris oris poteramus abigere infinitam penè Argelianorum praedonum multitudinem, nostro sanguine cruentam, nostris spolijs onustam & ditissimam. Insidiabantur illi diù nocturne vitae & bonis, & quod acerbius multò erat deplorandum, cum plura hominum millia in servitutem abducerentur, alij vitam vivebant difficilem aerumnosamque, alij turpissima prodicione à fide deficie-

(XVII)

bant. Non tulit felicitatis publicae amantissimis CAROLUS tam diuturnam, tam atrocem, tam nefandam calamitatem: & quod certè gloriosissimum facinus suprema illi fata reservabant, uno hoc perpetuo cum Argelianis foedere Hispanis omnibus fortunas, vitam, libertatem, religionem asseruit. Et erit deinceps qui, quòd CAROLUS rebus his arduis & reipublicae salutaribus perficiendis intentus, nedùm summis expensis thesauris, sed multo etiam alieno aere adstrictus, aerarium propemodum exhausit, quicquam commoveatur? Imò verò hoc ipsum illi in maximis laudum fuisse jure optimo contendemus. O singulare ac penè inauditum salutis publicae studium! Non apparandis celebrandisque magnificis ludis, non pretiosâ comparandâ suppellectili, non ad fucatae gloriae splendorem, aut nominis ostentationem, sed necessarijs justisque bellis paucissimo suorum effuso sanguine gloriosè conficiendis gazam exhausisse! Neque horuisse opulentissimi Imperij Regem privatorum egere opibus, quò subditi florentissimis otio & pace potiti, possent tuto esse locupletes!

Neque verò tot tamque egregijs pacis & belli ornamentis Hispanici nominis extulisse gloriam, populorum incolumitatem asseruisse, Im-

(XVIII)

perium à majoribus acceptum nedùm conservasse integrum, verùm & propagatâ ditioe amplificasse, insatiabilem, ut ita dicam, publicae felicitatis sitim CAROLI expleverat. Obversabantur illius animo ingenuarum artium studia, mechanica opificia, commercium, Agricultura, cuncta quibus communis felicitatis ratio consistit, atque in ea mentem, curam, cogitationes omnes intendebat suas. In queis quanta, quàm magna, quàm rebus ipsis conducibilia vel invenerit, vel jam inveterata restituerit, testes sunt quot quot extant suae munificentiae atque erga omnes reipublicae ordines vigilis curae publica monumenta: testes affabrè extructae pro Generali Nosocomio, pro exigendis vectigalibus, proque regijs alijs publicisque versandis & administrandis rationibus magnificae domus: testes sunt cum amplae à Matrino ad Aranguesianum aliosque regios recessus stratae viae, milliarijs & umbrosis arboribus aptissimè ornatae: tum quae Valentiae, Galleciae & Barchinonae regnis apparantur, quasque tribus suis Provincijs sumptuosas extruxit Cantabria, earum ornatum, commune commodum, perennitatem sumptibus, auctoritate ita enixè curante CAROLO, ut brevè nihil futurum sit, quod in hac parte Romanam Hispania nostra desideret mag-

(XIX)

nificentiam. Testes Complutensis & Sancti Vincentij latae & praecelsae portae: operosum Manzanarij canale: arduum & perdifficile illud, quod omnem artis industriam superasse credebatur, ab immundis sordibus purgandi Matrini opus, quoque planè absoluto, quantum & loci elegantiae, & incolarum sanitati consultum fuerit, nemo est qui nesciat. Testes ::: sed quid ego ista nullo digesta ordine, nullâ exornata verborum copiâ cursim & acervatim recensens, detero magis, quàm commendo? Perturbor, Auditores, ac mehercules obruor tantarum rerum multitudine & praestantiâ, atque in eas intuenti ac dicere conanti, idem mihi contingit, quod ei qui ad brevem horam augustam regiam multâ pretiosâ ornatam supellectili, pictis tabulis, statuis atque omnis generis ad antiquitatis cognitionem monumentis refertam, oculis esset lustraturus. Haereret ille animo, hæc illac cursans, nunc pictas & sculptas imagines, nunc signa aerea, marmorea, & monetarias capsas, modò ex auro & argento caelata vasa, conchyliatam vestem, gemmas, margaritas, modò laquearia inaurata, aulaea, totius domus artificium & ornatum obiter aspiceret; & cum avidissimè huc illucque circumspectasset omnia, nihil tandem intento ani-

mo contemplaretur. Haud aliter mihi CAROLI regnum, quasi quoddam publicae felicitatis domicilium ingresso, tam ampla se offert saluberrimorum facinorum materies atque, ut ita dicam, supellex, ut nec contemplari omnia, neque in quodnam potissimum mentis aciem intendam, planè sciam. Eamobrem supersedebo oneri, & quam ad se quisque partem ex tanto beneficiorum cumulo attinere animadvertat Reipublicae ordo, ejus laudandae provinciam suscipiet. Mercaturam mille, quibus obstringebatur, vinculis penè solutam: plures Hispaniae asportandis inde mercibus expeditos portus: gossipium, ligna, ceram, coria, sacharum, quae nostra haec fert telus, quaeque in Hispaniam, vel etiam in extera regna transvehuntur: hispana textilia, linea, xyliana aut ex stamine, & cannabi, necnon nexilia, pluraque alia opificia vel vectigali omni, vel vectigalium parte munificentissimum Regem levasse: sexcenta alia, quibus negotiationis quaestui, non minus quam communi bono consulitur, quantis sanè laudibus efferent mercatores? Quibus autem agricolae & pecuarij, quibus opifices clamoribus extollent sapientissimas sanctiones, queis jam nunc Agricultura viget, atque industria fovetur? Nulla, sanciente CAROLO, nulla apud nos ignomi-

niâ jam sordet illiberalis ars; nullus vel de infimâ plebe homunculus, si industriè ac probè rem exerceat suam, posthac parvipendendus erit. O verè patriae Patrem, suorum omnium nullo discrimine amantissimum tutorem, commodissimarum artium vindicem, quo auctore, sutores, sartores, coriarios, omnesque opifices cohonestatos nec suae pudebit operae, neque humili loco natos esse pigebit.

Et erit è Republicâ quisquam, cuiâ non plurimum intersint illae penè omnium artium florentissimae Academiae, communis salutis fontes uberrimi, vitae & fortunae civium altrices, Oeconomicae hispaniae Societates? Jactent, per me licet, Gallia, Anglia, Italiaque suas de nobilissimis scientijs, de physicis, de mathematicis, de historiâ Academias; instituendae verò civili vitae, & utilissimis excolendis artibus, societatibus hisce quid poterit simile inveniri? Rem profectò omnium saeculorum admiratione dignissimam! Exiguo viginti quatuor spatio annorum Cantabris (vel hoc uno laude immortalis dignis) praeerantibus, eo patriae amore, artium atque industriae fovendarum studio accensos fuisse hispanos, impensè adeò illorum consilio CAROLUM favisse, ut quinque supra quadraginta Societates Oeconomi-

cae, totidem cum ingenuarum disciplinarum, tum Agriculturae, Commercij, opificiorum insignes scholae erigerentur, atque incredibili animorum alacritate & contentione floeant. Hoc sanè fuerat, Optime CAROLE, quod olim puer non tam optaveras, quàm divino quodam instinctu aflatu auguraveras: Malle te, nimirum, si optio daretur, *Sapientis* cognomine, quàm magnificis quibusque alijs nominibus posteritati commendari. Inhiabas porrò avidissimè litteras, neque verò praesciveras jam tum, fore, ut duorum orbium summam administrans, scientias omnes tuereris, veteres renovares artes, litterarum cultores praemijs propositis enixè foveres, ac novo quodam & penè divino *Sapientis* nomine celebrarere. Quòd Sacrosancta de Deo ac divinis Scientia, quòd severiores Juris, & amoeniores Physiologiae disciplinae eximie colantur: quòd Medicina, Chirurgia, Barchinonae, Matritique Scholis, Collegijs, Aca-
demijs erectis, quòd illae, quae effodiendis metallis artes dant operam, & tutius sanitati praesidium, & augendis divitijs commodissimam viam attulerint: quòd res herbaria apud utriusque Hispaniae incolas tanto sit in honore, quòdque eruditissimi viri novis naturae & mirandis arcanis inveniendis in Americas, atque in exteris regio-

nes trajecerint, tuum est; tuis auctoritati, curae, largis & effusis sumptibus acceptum, CAROLE, referimus. Illud verò, quod hispanicae existimationis ossores, iniquo certè atque à veritate alieno prorsus animo ad ravim usque criminantur, humaniores litteras, ingenuasque artes obsolevisse jam pridem atque apud hispanos sorduisse, auctore CAROLO & fautore penitus deletum est: usque adeò, ut quas semper migrantes, suamque de regno in regnum transferentes sedem olim Poeta nescio quis festivè inducebat, videantur jam nunc Musae Regis mitissimi ingenij amore captae, domicilium tandem suum apud Hispanias constituisse. Quàm multi in nobis Oratores, Poetae, Musici, Pictores, Architecti, Statuarij insignes: quantam, vix dum hanc Mexici urbe CAROLI & nomine & sumptibus erectà illà trium nobilium Artium Academià, quantam quàmque praeclaram industrij juvenes Architectonice, Statuariae, Picturaeque operam navarunt: quàm multa in dies prodeunt hispanorum hominum tum solutà oratione, tum versibus elegantia, concinna, plena eruditione, plena salibus, antiquitatis memorià plena, quae aureae aetatis nativam puritatem aemulantur, quaeque exteri ipsi admirantur & propè stupent. Obstupuit (pace vestrà dixerim